DE
TITULORUM JONICORUM DIALECTO COMMENTATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GUALTHERUS KARSTEN

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

HALIS SAXONUM,

TYPIS PLOETZIANIS (R. NIETSCHMANN.)

MDCCCLXXXII.

487.923
K14d

SORORIS CARISSIMAE MARITO

F. LANGE

HUNC LIBELLUM GRATI ANIMI TESTEM

DEDICAVIT

AUCTOR.

172005

Postquam G. Ermanus librum suum 'De titulorum Jonicorum dialecto' scripsit,[1]) tam multae novae inscriptiones ad Ermani apparatum accesserunt, ut alteram de hac re quaestionem instituere operae pretium esse videatur. Quamquam enim Ermanus, priorum editorum Herodoti et Hippocratis sententias modo redarguens modo confirmans, tam diligenter et accurate quaestionem suam instruxit, ut multis in rebus novam quandam ac clariorem dialecto Jonicae cognoscendae lucem attulisse videatur, tamen in titulis postmodum repertis singula nonnulla inveniuntur, quae cognitionem nostram dialecti Jonicae aliqua ex parte et amplificare et corrigere possint.

Quaestionem meam ita disposui, ut, si quid novi, quod paragraphis Ermanianis adderem, invenisse mihi visus sum, Ermani paragraphos meis ascriberem, ceterum numerorum ordinem eundem, quo usus est Ermanus, sequerer.

Solam diphthongorum *ευ* et *αυ* in *εο* et *αο* mutationem non, ut Ermanus, paragraphis, in quibus de contractione vocalium disputatur, attribui, sed in eam § 6 recepi, cui apud Ermanum § 9 (de aliis vocalium mutationibus) respondet. Duas denique res ab Ermano non tractatas novas huc attuli: quaestionem de pronuntiatione vocalis e apud Jonas duplici (§ 7) et de dialecti Jonicae varietatibus (§§ 15 — 21).

---

[1]) Curtius, Stud. V. p. 250 sqq.

§ 1.

Conspectus titulorum Jonicorum.

Inscriptiones Jonicae septimo, sexto, quinto saeculo scriptae, quae post Ermani commentationem novae accesserunt et adhuc per ephemerides et monographias dissipatae iacuerunt, omnes fere in H. Roehlii libro[1]) summa cura atque opera conscripto collectae sunt, unde eas repetii; paucas quarto, pauciores quinto saeculo scriptas ex ephemeridibus collegi; nonnullas ab Ermano casu praetermissas illis adiunxi.

Titulos Asiaticos ita disposui, ut dialecti Jonicae quatuor species ab Herodoto[2]) commemoratas discernerem: Caricam, Lydiacam, Chiam, Samiam; titulos ex coloniis duodecim urbium ortos suae quemque metropoli attribui.

Titulis in Cycladibus insulis scriptis Amorginos, quamquam Amorgus colonia erat a Samiis deducta, postea a cleruchis Milesiis occupata, adscripsi, quia quo tempore illa Samiorum deductio et Milesiorum occupatio facta sit, ignoramus.[3])

Inscriptiones metricas, quas Ermanus consulto omisit,[4]) ipse quoque eadem causa ductus, qua ille, neglexi; paucas tantum scriptura vel simili quadam re insignes non praetermittendas esse existimavi.[5])

I. Tituli Asiatici.

A. Miletus cum Cyzico, Lero, Olbia coloniis; Priene, Jasus.

saec. VI. 1. Titulus Cyzicenus, Roehl l. l. n. 491.
saec. V. 2. Titulus Milesius, ed. O. Rayet, Inscriptions inédites

---

[1]) H. Roehl, Inscriptiones Graecae antiquissimae praeter Atticas in Attica repertas, Berol. 1882.

[2]) Her. I., 142.

[3]) Cf. A. Kirchhoff, Studien zur Geschichte des griechischen Alphabets[3] p. 30.

[4]) Cf. Erman, l. l. § 2, fin.

[5]) No. 7. 10. 14. 57. 59. 61. 62. 63.

trouvées à Milet, Didymes et Héraclée du Latmos rev. arch. XXVIII, p. 106.

3. Titulus Cyzicenus, Roehl l. l. n. 501.

saec. IV. 4. Titulus Milesius, ed. O. Rayet l. l. p. 109.

5. Titulus Lerius, Ross, Inscr. gr. ined. II. n. 188.

6. Titulus Cyzicenus, ed. G. Perrot, Une inscription de Cyzique, rev. arch. XXX p. 93.

7. Titulus Prienaeus, Le Bas et Waddington, voy. arch. III. n. 186.

8. Titulus Olbiensis, ed. J. H. Mordtmann, Inschrift von Olbia, Herm. 1878 p. 373.

8a. Titulus Jasensis, edd. Am. Hauvette — Besnault et Marcel Dubois, Décret de la ville d'Jasos au IV. siècle, bull. de corr. hell. V. p. 105.

B. Ephesus, Abdera (colonia Teiorum), Phocaea.

saec. VII. 9. Titulus Ephesius, ed. M. Fraenkel, Eine Münze mit altion. Aufschrift, arch. Zeit. 1879 p. 27.

saec. V. 10. Titulus Abderiticus, Roehl l. l. n. 349.

saec. IV. 11. Titulus Phocaeus, ed. O. Riemann, Inscriptions grecques provenant du recueil de Cyriaque d'Ancone, bull. de corr. hell. I. p. 81.

C. Chius, Erythrae.

saec. VI. 12. Titulus Chius, Roehl l. l. Addenda et corrigenda, n. 380 a.

saec. V. 13. Titulus Erythraeus, Roehl l. l. n. 494.

14. Titulus Chius, Roehl l. l. n. 382.

15. Titulus Chius, Roehl l. l. n. 381.

16. Titulus Chius, ed. B. Haussoullier, Inscriptions de Chio, bull. de corr. hell. III. p. 316 sqq. n. 5.

17. Titulus Chius, ibid. n. 6.

18. Titulus Chius, ibid. n. 13. Hunc titulum propter solutam nominis *Ἑρμίεω* formam sexto vel initio quinti saeculi tribuere non dubitarem, nisi literarum forma obstare videretur.

19. Titulus Chius, ibid. n. 14.

20. Titulus Chius, ibid. n. 15.

saec. IV. 21. Titulus Erythraeus, Le Bas et Waddington l. l. III n. 39.

22. Titulus Erythraeus, ibid. n. 41.

23. Titulus Erythraeus, ibid. n. 40.

24. Titulus Erythraeus, ibid. n. 1536a.

25. Titulus Erythraeus, ibid. n. 47.

26. Titulus Chius, ed. B. Haussoullier, Inscr. de Chio, bull. de corr. hell. III. p. 316 sqq. n. 8.

27. Titulus Chius, ibid. n. 16.

28. Titulus Chius, ibid. n. 20.

29. Titulus Chius, ibid. p. 242—255 n. 3.

30. Titulus Chius, ibid. p. 45 sqq. n. 1.

31. Titulus Chius, ibid. p. 316 sqq. n. 21.

32. Titulus Chius, ibid. n. 7.

D. Samos.

saec. VI. 33. Titulus Samius, Roehl l. l. n. 383.

saec. V. 34. Titulus Samius, ibid. n. 384.

35. Titulus Samius, ibid. n 386.

36. Titulus Samius, ibid. n. 387.

37. Titulus Samius, ibid. n. 388.

38. Titulus Samius, ibid. n. 388a.

saec. IV. 39. Titulus Samius, P. Cauer, Del. inscr. gr. p. 168 n. 134.

40. Accedit titulus Mendaeus, Roehl l. l. n. 348 in basi Victoriae alatae Olympiae effossae exaratus, quem Kirchhoffius[1]) Mendae coloniae Jonum Asiaticorum prope Aenum conditae, quam solus commemorat Pausanias,[2]) attribuit.

II. Tituli Euboeae insulae coloniarumque Chalcidensium in Magna Graecia sitarum.

A. Tituli Euboici.

saec. VI. 41. Titulus Chalcidensis, ed. Koehler, Mittheilungen des deutschen archaeol. Instituts zu Athen I. p. 97 sqq.

---

[1]) Kirchhoff, Stud.[3] p. 106.

[2]) Paus. V., 27, 12

42. Titulus Chalcidensis, Roehl l. l. n. 374.

saec. V. 43. 432 inscriptiones laminarum Styrensium a Rhusopulo, Lampro, Lenormantio, Waddingtonio, Vischero editae et a Roehlio (l. l. n. 372) collectae, e quibus Ermano 279 tantum praesto erant, quas Lenormantius publici inris fecerat.[1])

44. Titulus Euboicus, ed. Bursian, Quaestionum Euboicarum capita selecta p. 37.

45. Titulus Chalcidensis, Roehl l. l. n. 375.

46. Titulus Eretriensis, Roehl l. l. n. 373.

47. Titulus Euboicus, Roehl l. l. n. 376.

saec. IV. 48. Titulus Eretriensis. Cauer, Del. inscr. gr. p. 171, n. 138.

Nota. Titulum Olympiae repertum, quem Kirchhoffius in Arch. Zeit. XXXVII. p. 153 edidit, Roehlius (l. l. n. 370) forma τῇτέρῃ ductus Euboicum esse iudicat. ‘Titulus, inquit, inter omnes Jonicos antiquitate excellit, quippe qui litera *M* pro *Σ* utatur.’ Attamen si hic titulus esset Euboicus ac tanta excelleret vetustate, haud dubie spiritus asper, qui in omnibus sexti et quinti saeculi titulis Euboicis elemento *H* scribitur, hic quoque ita designatus fuisset; verum non expressus est in verbis ὑπέρ, ὑπερέβαλε, οὐφό[ρ]α. Accedit quod litera zade in nulla adhuc inscriptione Jonica occurrit.[2])

Augetur suspicio illa aliarum literarum formis, quae litera χ excepta cum alphabeto titulorum Euboicorum nihil habent commune: ‘Das Alphabet gehört, ut ait Kirchhoffius, wie die Gestalt des Chi beweist, meiner zweiten Gruppe an, kann aber, der Form des Lambda nach zu schliessen, weder das chalkidische noch das boeotische sein;’ deinde literarum ϱ, υ, φ formae, quae in hoc titulo apparent, alphabeto Chalcidensi eius aetatis, cui Roehlius titulum vindicat, tribui nullo modo possunt. Unde autem hic titulus revera prodierit, viris doctis explorandum relinquo.

---

[1]) Mus. Rhen. 1876 p. 276.

[2]) Cf. Kirchhoff, Stud.[3] p. 86.

B. Inscriptiones coloniarum Chalcidensium.

saec. VI. 49. Titulus Cumanus, Roehl l. l. n. 525.
saec. V. 50. Titulus Chalcidicus, Roehl l. l. n. 519.
51. Titulus Chalcidicus, Roehl l. l. n. 520.
52. Titulus Chalcidicus, Roehl l. l. n. 526.
53. Titulus Cumanus, Roehl l. l. n. 530.
54. Titulus Rheginus, Roehl l. l. n. 532.
55. Titulus Rheginus, ibid. n. 533.
56. Titulus Rheginus, ibid. n. 536.

III. Inscriptiones Cycladum insularum et Thasi, coloniae a Pariis deductae.

saec. VII. 57. Titulus Naxius, Roehl l. l. n. 407.
saec. VI. 58. Titulus Parius, ibid. n. 400.
59. Titulus Naxius, ibid. n. 408.
saec. V. 60. Titulus Naxius, ibid. n. 409.
61. Titulus Parius, ibid. n. 401.
62. Titulus Parius, ibid. n. 402.
63. Titulus Ceus, ibid. n. 393.
64. Titulus Ceus, ibid. n. 395.
65. Titulus Ceus, ibid. n. 396.
66. Titulus Ceus, ibid. n. 397.
67. Titulus Ceus, ibid. n. 398.
68. Titulus Ceus, Corp. inscr. graec. n. 2363b.
69. Titulus Amorginus, Roehl l. l. n. 390a.
saec. IV. 70. Tituli Thasii ab A. Dumontio, Archives des missions scientifiques et littéraires etc., et ab E. Millero, Journal des Savants 1872 p. 40—60, parum diligenter editi, ita ut e scriptura aetas titulorum cognosci nequeat. Initio quarti saeculi vix ullus est vetustior; omnes fere, praecipue recentiores, miram exhibent linguae pravitatem. Recentissimi videntur esse h, i, k, l; antiquiores in initio posui; horum tempus atque seriem numerorum ordine significavi. Sequor Milleri editionem.

a. l. l. p. 56 sq.
b. l. l. p. 58.
c. l. l. p. 48.
d. l. l. p. 53.
e. l. l. p. 47.
f. l. l. p. 54.
g. l. l. p. 50.
h. l. l. p. 46 n. 1.
i. l. l. p. 46 n. 2.
k. l. l. p. 50 sq.
l. l. l. p. 59 sq.

71. Titulus Amorginus, Ross, Inscr. graec. ined. II, n. 138.

72. Titulus Myconius, *Ἀθήναιον τόμ.* II, 1873, p. 235 sqq.

Accedunt duo tituli Jonici incertae originis:

saec. V. 73. Titulus Camiri repertus, Roehl l. l. n. 496.

74. Titulus Dodonae effossus, ibid. n. 502.

Titulos breves vel mutilatos, qui nullius momenti esse videbantur, omisi.

De consonantibus.

§ 2.

De digammate.

De litera Ϝ, quae in titulis Jonicis non nisi in Chalcidensibus occurrit, vide § 19, 1.

§ 3.

De spiritu aspero.[1]

Notissima illa recentioris Jadis proprietas, quod litera tenuis ante vocalem vulgo spiritu aspero praeditam non in aspiratam, quae respondet, mutatur, sed integra servatur, vix umquam satis subtiliter explicari poterit, ‘nisi, ut ait

[1]) Erman l. l. § 4.

Ermanus, accitis omnibus codicum et grammaticorum testimoniis et comparatis reliquis dialectis.' Quod quum longius nos a proposito nostro abducturum esset, ea tantum, quae e titulis ipsis cognosci posse arbitramur, hoc loco proferamus, eamque proponamus illius rei explicationem, quae nobis optima videatur, quamquam hanc quoque neglectis ceteris fontibus atque auxiliis dubitationibus non obnoxiam esse affirmare non ausim.

Ac primum quidem de iis formis in titulis nostris obviis dicemus, in quibus vis spiritus asperi, cui litera tenuis antecedit, exstincta videtur, deinde de aliis aspirationis exemplis, quae in titulis inveniuntur, disputabimus.

A. 1. Exempla igitur, in quibus literam tenuem spiritus asper subsequitur, habes haecce:

ἀπ' ἑκάστου (2, 2), *πεντ' ἡμέρησιν* (15b, 4), *τἤρη* (34); accedunt exempla ab Ermano l. l. collecta: *τοὐρμοκράτεος* (20, 2), *ἀπ' ὅτ[ου]* (21, 18), *κατάπερ* (21, 19), *κατόπερ* (21, 43), *κατάπερ* (29).

2. Contra tenuis ante spiritum asperum in aspiratam mutata est in his formis:

μεθέλη (15a, 11), *καθημένου* (Erman l. l. 13, 31), *κάθοδον* (ibid. 21, 40).

B. Accedunt exempla, in quibus aspiratio literae tenuis ante literam aspiratam positae neglecta est; deinde, in quibus tenuis, quam aspirata sequitur, in aspiratam mutatur:

1. *καταπθιμένης* (14, 2), *ἐκχεῖν* (64a, 22).
2. *καταφθι[μέ]νω[ν]* (64a, 1), *ἐχφέρειν* (64a, 6).

C. Duae in titulis exstant formae, in quibus ea lex, quae binas syllabas sequentes ab aspiratis incipere vetat, neglegitur:

ἐθέθην (49), *θυφλός* (Erman l. l. n. 1).

Quodsi quaeritur, cur litera tenuis ante spiritum asperum posita integra servetur, ea huius rei explicatio vix probanda videtur, quam Ahrensius in pertractanda dialecto Aeolica[1])

---

[1]) Ahrens, Dial. aeol. § 4, 1.

et Giesius[1]) protulerunt: 'in illis formis, ubi spiritus asper nullam vim habere videatur ad antecedentem tenuem in aspiratam, quae respondet, mutandam, non asperum, sed lenem spiritum esse pronuntiatum'. Nulla enim invenitur causa, cur ionismo et aeolismo mediis in verbis et in elisione spiritum asperum denegemus, praesertim quum vis spiritus asperi ante literam tenuem positi in antiquioris tantum aetatis titulis evanida videatur, in titulis paulo recentioribus, quamquam ipsi quoque quinto saeculo scripti sunt, magis magisque eluceat, ut formae docent *μεθέλῃ*, *καθημένον*, *κάθοδον*, aliae.[2]) Sin autem Jas revera aspiratione orbata fuisset (id quod non factum esse G. Curtius ostendit), ipsum contrarium factum esset, ut vis spiritus asperi, quem in titulis antiquioribus elemento *H* expressum esse nemo ignorat, primum intacta appareret, deinde in annum magis evanesceret.

Aspirationem autem in iis exemplis, quae sub A 1 collegimus, ut in crasi fieri solet, sic illic quoque ipsius elisionis effectu esse sublatam, nemo facile contenderit. In crasi enim apud Jonas haec lex videtur valere, ut prior vocalis vel diphthongus omnes, qui sequuntur, sonos quasi absorbeat, ut formae docent *τοὐρμοκράτεος* (Erman l. l. 20, 2), *τῆρῃ* (34), id quod ea quoque re confirmatur, quod in crasi *ι* subscriptum evanescit. Contra in elisione ipsum fit contrarium, ut prioris ac debilioris vocalis vis in hoc duorum sonorum certamine infringatur atque ipsa tollatur, sequens sonus superior ex pugna discedat.

Quae quum ita sint, hanc neglectae illius aspirationis explicationem vix improbandam esse existimamus: antiquissimis temporibus aspirationem iis locis, quibus litera aspirata non genuina erat, sed ex literis t et h, p et h, k et h oritur, i. e. in elisione, eam ob causam omissam esse, quod assimila-

---

[1]) Giese, über den aeol. Dialect, p. 402 sq.

[2]) Cf. G. Curtius, Grundzüge der griechischen Etymologie p. 612. Ceterum formae *μεθέλῃ* etc. ex Attica dialecto repetitae esse nullo modo possunt; titulus quidem 15 a medio fere saeculo quinto scriptus est et titulum Teium (Erman n. 13) Kirchhoffius anno circiter 470 a. Chr. n. exaratum esse iudicat.

tio literarum tenuium ad sequentem spiritum asperum nondum facta erat, sed uterque sonus disiunctim pronuntiabatur. Hanc autem legem non solum apud Jonas et Aeoles, a quibus haec sonorum disiunctio diutissime servata videtur esse, sed etiam apud reliquos Graecos antiquiorum temporum quondam valuisse, similia neglectae aspirationis vestigia in titulis non Jonicis obvia, quae infra commemorabimus, ad verisimilitudinis speciem redigunt. Simili modo ne liquidarum quidem consonantium assimilatio ad sequentem literam mutam locum habet in vetustioribus titulis, in quibus pro *γκ*, *μπ*, *μβ* etc. constanter *νκ*, *νπ*, *νβ* scriptum est.

Qua de causa Roehlium, qui in titulo Chalcidensi [1]), ubi literae *ΠΕΝΤΕΜ* exstant, *πέντ' ἡμ*[*ερ*—] supplevit, errasse puto; spiritus enim asper, ut in omnibus titulis Euboicis sexto et quinto saeculo scriptis, in illa inscriptione elemento *H* designatur, ut, si *πέντ' ἡμερ*— — scriptum fuisset, illo loco haud dubie *ΠΕΝΤΗΕΜ* — — legeremus. Itaque illo loco *πέντε μ*[*ησίν*] vel simile aliquid videtur supplendum.

Antiquiore igitur linguae aetate in elisione nec non mediis in verbis compositis, ut *κατἅπερ*, *κἀτὅδος*, ubi similis elisio facta est, literae tenues et subsequens aspiratio accurate disiungebantur; posterioribus vero temporibus vis spiritus asperi ad praecedentem tenuem in aspiratam mutandam etiam in dialecto Jonica paulatim vigere coepit, quae vis in vocibus compositis, in quibus, ut natura fert, soni usque ad id tempus soluti celerrime coaluerunt, primum medio saeculo quinto emersit, quo tempore lingua Graeca magis magisque ad aspirationem inclinare coepit; [2]) huiusmodi in quinti saeculi titulis tria habes exempla supra sub A 2 collecta. Deinde ineunte saeculo quarto, quo tempore in universam linguam vulgarem tenuium aspiratio mirum quantum iam irrepserat, non modo mediis in verbis, sed, ubicunque fit elisio, tenuis ante spiritum asperum posita in aspiratam mutatur; quin

---

[1]) Roehl l. l. n. 374. v. 10.

[2]) Cf. V. H. Roscher, De aspiratione vulgari apud Graecos, Curtius, Stud. I., 2, p. 63—127.

etiam tanta videtur fuisse vis spiritus asperi, ut ipsa quoque media δ in aspiratam ϑ transiret in verbis *οὐδείς*, *μηδείς*.[1]) Duobus saeculis post, inde a saeculo fere secundo a. Chr. n., multae inscriptiones, praecipue eae quae ex Jonum sedibus profectae sunt, hanc miram exhibent differentiam a vulgari lingua discedentem, quod spiritus asperi usus quodammodo fluctuare ac sibi non constare incipit, id quod ex aspiratione antecedentis tenuis concludi potest: nulla enim ratio cernitur, cur, ut Lachmannus et Boeckhius[2]) voluerunt, illis vocalibus, quibus elisione facta litera aspirata antecedit, spiritum lenem tribuamus.[3]) Huiusmodi exempla in titulis inveniuntur haecce: *καϑ' ἕτος*[4]), *ἐφ' ἴση*[5]), *ἀφ' ἴσου*[6]), *ἐφ' ἴση*[7]), *ἐφεῖδε*[8]), *καϑ' ἰδίαν*[9]), *καϑ' ἐνιαυτόν*[10]), *καϑιδόντες*[11]); *ἐφιορκεῖν*[12]).

[1]) Sic enim has formas, quas alii non Atticas alii Aeolicas — Aeoles enim saepenumero δ in ϑ et ϑ in δ mutabant (cf. Boisson. ad Gregor. p. 614) — esse tradunt, ortas existimo, non ex *οὔτε*, *μήτε* et *εἷς*. Photius enim s. v. *οὐδείς* : '*οὐδείς*, ait, *οἱ παλαιοὶ διὰ τοῦ δ· οἱ δὲ νεώτεροι καὶ διὰ τοῦ ϑ οὐϑείς.*' cf. Phryn. Ecl. 76. Vix credibile autem videtur, Graecos vocabuli tam saepe triti tamque vulgati formae usitatae, quam usus sanxerat, sine ulla ratione repente poenituisse atque aliam vocis *οὐδείς* formandae viam illius loco ab iis esse incohatam; multo est probabilius literam δ, quam per se ipsam ad aspirationem quodammodo propensam fuisse grammatici tradunt (Dionys. Hal. De comp. verb. 14), sequenti sqiritu aspero in aspiratam mutatam esse, praesertim quum literam δ posteris temporibus ubique spirantis naturam accepisse nemo est qui ignoret; accedit quod in forma feminina *οὐδεμία*, *μηδεμία* numquam litera ϑ apparet. Occurrunt autem illae formae novae in titulis: 30, 29. 30, Herm. XV. p. 382 v. 5, bull. de corr. hell. V. p. 105 v. 2, p. 109 B v. 4, Le Bas et Waddington, voy. arch. III. n. 190 v. 3 etc. Cf. praeterea Ahrens, dial. aeol. § 6, n. 5, p. 44.

[2]) Boeckh ad Corp. inscr. gr. 3333 v. 6.

[3]) Cf. G. Curtius, Grundzüge, p. 612.

[4]) Le Bas et Wadd. voy. arch. III. n. 403 v. 4.

[5]) Ibid. n. 136 a v. 45.

[6]) Ibid. n. 87.

[7]) Corp. inscr. graec. 3137.

[8]) Ibid. n. 3333.

[9]) Ibid. n. 2347 c, v. 48; 2335. 2329.

[10]) Ibid. n. 2448.

[11]) Ross, Inscr. graec. ined. II. n. 123 v. 1.

[12]) Corp. inscr. gr. n. 3137.

Accedit quod in nonnullis Novi Testamenti manuscriptis lectiones occurrunt *ἐφιδεῖν*, *ἐφ' ἐλπίδα*, *ἐφ' Ἰουδαίους* etc.

Haec autem spiritus lenis mutatio in spiritum asperum utrum literae *F*, quae iam multis saeculis ante e lingua elapsa oblivionis tenebris obscurata iacuit, miro cuidam afflatui originem debeat [1]), an eadem ratione facta sit, qua in lingua Anglica, vel maxime in dialecto 'Cockneiana', literae h usus maximopere fluctuat [2]), viris doctis diiudicandum relinquimus.

Aliud momentum ad rem de qua agitur ita, ut supra fecimus, explicandam affert forma *καταπθιμένης* in titulo Chio (14, 2) quinto saeculo scripto obvia: cernis oculis hoc quidem loco aspirationem literae *ϑ* inhaerentem; nihilominus antecedit tenuis. Quae quum ita sint, vix dubium esse potest, quin et haec et illae formae, de quibus supra diximus, eam indicent dialecti Jonicae actatem, qua assimilatio tenuium ad sequentem aspirationem non iam facta erat. Similes huiusmodi formae ne ab aliis quidem dialectis alienae sunt: *ἄπϑιτον* in titulo Phoceo [3]), *ἀπϑίτο* in titulo Attico [4]) etc.

Illa autem lex, quam in dialecto Jonica usque ad medium saeculum quintum valuisse demonstrasse mihi videor: ut literae tenues magis atque diutius quam in ceteris dialectis aspirationi, quae postea totam linguam vulgarem inundavit [5]), repugnarent, severiori tantum Jadi vindicanda est [6]); exempla enim eius generis, quae supra enumeravimus, omnia in titulis Asiaticis occurrunt. Contra ii tituli, qui ex reliquis Jonum sedibus prodierunt, non minus quam reliquarum dialectorum monumenta inclinatione quadam ad tenuium aspirationem utuntur, ita ut eorum dialectus et in hac re et in aliis, ut postea videbimus, a puriore Jade longius discedat. Exstant enim

---

[1]) Boeckh ad Corp. inscr. gr. 3333.

[2]) Cf. G. Curtius, Grundzüge, p. 614; Johan Storm, Englische Philologie, I. p. 52—54.

[3]) Roehl l. l. n. 314.

[4]) Corp. inscr. gr. n. 1. Cf. praeterea Roscher l. l. p. 83. 88.

[5]) Cf. Roscher, l. l. cap. VI.

[6]) Cf. J. G. Renner, De dialecto antiquioris Graecorum poesis elegiacae et iambicae, Curtius, Stud. I., 1, p. 152.

aspirationis exempla in titulo Ceo quinto saeculo scripto: *καταφθι[μέ]νω[ν]* (64a, 1), *ἐχφέρειν* (64a, 6); neglecta est aspiratio in forma *ἐκχεῖν* (64a, 22). Dialectus igitur Cei insulae non minus quam lingua vulgaris in universum — excepta severiore Jade — ad aspirationem propensa videtur fuisse, quum tenuis ante aspiratam posita iis locis, quibus tenuem non eiusdem ordinis consona, ut in *ἐκχεῖν*, subsequitur, aspiratione debilitata sit. Quin etiam tanta fuit spiritus asperitas, ut in titulo Naxio vetustissimo spiritus asper cum litera *σ* pro *ξ*, i. e. *χσ*, positus sit in *Ναʽσίου* (57, 2), *ἔʽσοχος* (57, 2), *Φραʽσου* (57, 3).

Optime cum hac re congruit, quod ne illa quidem lex euphonica, quae binas syllabas sequentes ab aspiratis ordiri vetat, in titulis Chalcidensibus observatur; invenimus enim formas *ἐθέθην* (49), *θυφλός* (Erman. l. l. n. 1), quam recentioris Graecitatis anomaliam ex antiqua lingua vulgari profectam esse Roscher demonstravit.[1]

In illis igitur formis prior aspirata assimilatione nascitur; sed ne vulgaris quidem linguae Graecae proprietatem, quae ex ea inclinatione prodiit, ut omnem, ubicunque posita erat, tenuem aspiratione muniret, dialecto Jonum occidentalium defuisse nomina docent in laminis Styrensibus obvia: *Παράκληθος* pro *Παράκλητος* (43, 305), *Θιμόνοθος* pro *Τιμόνοθος* (43, 141).[2]

De vocalibus.

§ 4.

De longa vocali *ᾱ* ab Jonibus in *η* mutata.[3]

Illam dialecti Jonicae legem, quae longam vocalem *α* in *η* mutari iubet, a Chalcidensibus non tam constanter quam a reliquis Jonibus observatam esse, Ermanus duobus exemplis

---

[1]) Roscher, l. l. cap. IV.
[2]) Cf. Roscher l. l. p. 86.
[3]) Erman, l. l. § 6.

in titulis Styrensibus obviis confirmat: *Λυσαγόρας* et *Ἐσνέας*. Hae autem formae α purum praebent, quod etiam in dialecto Attica plerumque immutatum servatur: impurum quoque α immutatum exstat in fragmento nominis — *αντίδα[ς]* (43, 416). Mediis vero in nominibus ᾱ pro η legitur in *Δαμάρετος* (43, 66) et *Ἡγαμονεύς* (43, 125). Quamquam cavendum est, ne nimiam illis formis fidem habeamus, quippe quae a Lenormantio, homine suspectae fidei, exhibeantur, praesertim quum Lampros *ΔΕΜΑΡΕΤΟΣ*, *ΗΕΓΕΜΟΝΕΥΣ* praebeat.[1])

Contra in iis titulis, qui e purioris Jadis sedibus profecti sunt, usque ad medium saeculum quartum summa constantia α longum in η mutatum invenimus; quin etiam α brevis in η mutatio locum habet in titulo Milesio et Cyziceno: *ἀτε[λ]είην* (1 B), *βησιλέως* (4)[2]), quas formas, quum in nullo alio titulo Jonico huius generis exemplum exstet, ionismo Cariae attribuere non dubitamus. Unum tantum in titulis Asiaticis quinto saeculo exaratis exemplum α longi immutati occurrit; legimus enim in titulo Samio (37, 4) formam *Πυθαγόρας*, quae unde orta sit ac quomodo in dialectum Samiam se insinuaverit, pro certo dici vix potest.

De pronuntiatione vocalis η ex α ortae vide § 7.

§ 5.

De Jonico *ου* pro Attico *ο*.[3])

Ad formam *Πουλυάναξ* ab Ermano notatam accedunt tria alia exempla: *Πουλύωνος* in titulo Chio (31), *Πο[υ]λυρίδης* in lamina Styrensi (43, 314), *Πούλυος* in titulo Thasio (70 a).

§ 6.

De aliis vocalium mutationibus.[4])

1. Quo tempore Ermanus commentationem suam scripsit, e titulis nondum cognoscere licuit, utra sit forma Jonica,

---

[1]) Cf. Roehl l. l. p. 87; n. 372, 269, annot.

[2]) O. Rayet, Rev. arch. XXVIII., p. 109: 'La lecture *βησιλέως* est certaine.'

[3]) Erman l. l. § 8, 2.

[4]) Erman l. l. § 9.

ἀεί an *αἰεί*, quum titulus Halicarnassius[1]) vocabulum nostrum tam mutilatum praebeat, ut utra forma in lapide fuerit diiudicari nequeat, quare factum est, ut huius tituli editores alii *ἀεί* alii *αἰεί* scriberent.[2]) Unus titulus Amphipolitanus[3]) bis brevem formam *ἀεί* habet; quamquam is purum servavit ionismum, tamen Ermanus illam formam Jadi tribuere non ausus est, quum medio fere saeculo quarto scriptus sit.

Ad hanc quaestionem disceptandam discrimen dat forma *ἀειναῦτ*[*αι*] in titulo Chalcidensi (45,2) occurrens; ille enim titulus saeculo quinto scriptus est, ut breviorem formam ionismo dare non dubitemus, praesertim quum nullum usquam in titulis vestigium appareat formae *αἰεί*.

2. Miram illam titulorum Jonicorum proprietatem, quod inde a medio fere saeculo quarto saepissime in diphthongis *αυ* et *ευ* pro litera *υ* *ο* scriptum est, Ermanus sic fere explicavit:[4]) 'in inscriptionibus Jonicis usque a medio saeculo quarto genetivos in *εος* terminantes in *ευς* contrahi; quam scriptionem ita esse explicandam, ut *εο* similiter atque *ευ* diphthongum iam diu ante medium saeculum quartum pronuntiatum esse putemus, quo demum tempore *ευ* in orthographia quoque interdum pro *εο* apparere coeperit. Quum autem pronuntiatio novae diphthongi *ευ* contractione ex *εο* natae prorsus eadem fuerit atque genuini *ευ*, facile fieri potuisse, ut lapicidae genuinum *ευ* falso literis *εο*, novum contra contractione natum literis *ευ* designarent. Sic igitur explicari scriptiones *Εὀπάμονος*, *φεόγειν*, *Θευδοσίης*, *θευροί* etc. Cum hac autem scriptura optime concinere, quod in titulo Mycalensi etiam pro *αυ* diphthongo *αο* legatur in verbo *αὀτοί*.'

Hanc Ermani opinionem reiciendam esse iam P. Cauer in annotatione ad titulum Samium facta iudicavit:[5]) 'Causam, inquit, huius scripturae Ermanus eam esse putat, quod lapi-

---

[1]) Ibid. n. 21, 37; Roehl l. l. n. 500.
[2]) Erman l. l. § 9,2.
[3]) Ibid. n. 25, 5. 25.
[4]) Erman l. l. § 12,3.
[5]) P. Cauer, Del. inscr. graec. n. 134, p. 169.

cidae *ευ* diphthongum ex *εο* contractam et *ευ* ex *υ* productam distinguentes erraverint; at haec explicatio in *αο* pro *αυ* scriptas non quadrat'. Recte. Neque enim erat distinctio facta inter duas diphthongi *αυ* species diversas: alteram genuinam, alteram novam, ita ut in hac diphthongo scribenda lapicidae nullo modo errare potuerint.

Sed priusquam propius ad rem accedamus, exempla literarum *υ* et *ο* in diphthongis *ευ* et *αυ* mutatarum, quae in titulis nostris occurrunt, proferamus:

saec. V.	*ἱερεῶς* (2, 4).[1] *βασιλεός* (15 c, 8).	
saec. IV.	*αὀτούς* (5, 7). [*τ*]*αο͂τα* (5, 12). *λεοκοῖς* (7, 3). *εὀεργέτην* (23, 5). *ταο͂τα* (23, 10). *αὀ*[*τῶ*]*ι* (23, 11). *ταο͂τα* (23, 18). *ταο͂τα* (30, 31). *αὀτός* (30, 31). *φεόγο*[*νσιν*] (32). *εὄνοιαν* (39, 9). *ταο͂τα* (39, 15). *αὀτόν* (39, 15). *ἑαοτῶν* (39, 20). *αὀτοῖς*(39,21.26.29). *αὀτούς* (39, 29).	Mutatio vocalis *ο* in *υ* in terminationibus genetivi sing. nominum in *ης* medio saeculo IV. apparere coepit. Accedunt nomina: *Θεύδωρον* (25). *Θευγείτων* (8a, 9).

Alia id genus exempla in posterioris aetatis titulis obvia collecta sunt ab Haussoulliero, bull. de corr. hell. II. p. 47 sqq.

Ad hanc igitur vocalium mutationem recte explicandam Cauer l. l. viam ostendit. Is enim postquam de Ermani sententia reicienda locutus est, sic pergit: 'Itaque, inquit, utriusque scripturae causa in pronuntiatione *υ* vocalis posita

---

[1]) Sic O. Rayet l. l. Sed haud scio an melius legatur *ἱέρεως*, cuius formae genetivus *ἱέρεω* invenitur in titulo Olbiensi, Corp. inscr. gr. n. 2058.

fuisse putanda est.' Quae autem illa pronuntiatio fuerit, mutatio vocalis *υ* in diphthongis *ευ* et *αυ* postmodo facta docet: recentiore enim linguae aetate diphthongi *ευ* et *αυ* ita pronuntiabantur (et pronuntiantur), quasi scriptum esset ev et av. Hac ex re concludi potest, tempus quondam fuisse, quo illarum diphthongorum pronuntiatio, quae antiquioribus temporibus ey et ay fuerat,[1]) eo verteret, ut vocalis *υ* graviorem atque densiorem, ut ita dicam, vocalis u sonum acciperet, qui postea in consonantem condensatus est.[2]) Quod quo tempore sit factum scriptiones *εο* et *αο* in titulis obviae docent: Jonica quidem dialectus, quae ex omnibus dialectis Graecis maxime erat mobilis atque versatilis, mutationem illam quinto iam saeculo subierat; eo enim tempore illa scriptio primum apparet in titulis (2, 4; 15 c, 8). Tunc igitur ii qui titulos scripserunt sibi conscii esse coeperunt, scriptura *ΕΥ* et *ΑΥ* veram illorum sonorum pronuntiationem non significari; quonam alio elemento brevis vocalis u designanda esset, dubium videbatur, quo factum est, ut alter *ἱερεώς*,[3]) alter *βασιλεός* scriberet; sequenti tempore scripturam *εο* et *αο* propius ad veram pronuntiationem accedere intellexerunt.

Optime cum hac re concinit, quod usque a medio fere saeculo quarto tituli contrario pro *εο* diphthongum *ευ*, deinde etiam *αυ* pro *αο* scripta exhibent; illo enim scriptionis *εο* et

---

[1]) Equidem eos errare puto, qui vocalem *υ* in diphthongis *ευ* et *αυ* genuinam pronuntiationem u — principio enim *υ* in Graeca quoque lingua velut u pronuntiatum esse constat; postea pronuntiatio in y mutata est — usque retinuisse arbitrantur. Ratio enim historica quae vocatur et comparativa docet, antiquiore linguarum aetate vocales in diphthongis positas disiungi, posterioribus temporibus quasi in unum sonum coalescere. Huiusmodi exemplum praebet diphthongus Graeca *ει*, quam primum eï, deinde ei, tum ī pronuntiatam esse compertum habemus, ut ne de *ευ* et *αυ* quidem diphthongis dubium esse videatur, quin principio diphthongi *κατὰ διέξοδον*, non *κατὰ κρᾶσιν* fuerint. Quod si ita se habet, pronuntiatio vocalis *υ*, quae nescio quo tempore ex u in y mutata est, etiam in diphthongis *αυ* et *ευ* hanc mutationem subiisse putanda est.

[2]) Cf. G. Curtius, Grundzüge, p. 499; Fr. Blass, Ueber die Aussprache des Griechischen p. 30 sq.

[3]) Cf. p. 20 annot.

αο cum tralaticia scriptura *ευ* et *αυ* certamine repugnantia quaedam — si hoc verbo uti licet pro nostro 'Reaction' — contra novum scribendi genus atque confusio facta est, ita ut lapicidae dubii essent, utrum tralaticiam an novam scriptionem sequerentur et iis quoque locis *ευ* et *αυ* exararent, quibus *εο* et *αο* scribendum erat. Exempla huius scripturae habes *Θεύδωρον* (25), *θευροί* (Corp. inscr. gr. 2161), *Λαυδίκ*[*εια*] (ibid. 7054), alia. Utrum genetivi quoque in *ευς* pro *εος* exeuntes ex hac scribendi ratione derivandi sint — Ermanus quidem illam contractionem ad formas *θευροί*, *φεόγειν* etc. refert — an contractio terminationis *εος* in *ευς* aliter explicanda et dialecto Jonicae propria sit iudicanda, diiudicari nequit nisi reliquis dialecti Jonicae fontibus examinatis ceterisque dialectis comparatis.

Ceterum similia exempla etiam in titulis non Jonicis inveniuntur, ut scriptionem illam diphthongorum *ευ* et *αυ* e nova pronuntiatione natam, incohatam ab Jonibus, a reliquis Graecis passim susceptam, cum tralaticia scriptura usque certantem non Jonicae tantum dialecto tribuendam exsistimemus, sed ex universae linguae Graecae pronuntiatione profectam esse persuasum habeamus.

§ 7.

De pronuntiatione *ε* et *η* vocalium diversa.

In alphabeto Jonico duae diversae naturae vocales eodem elemento *η* exprimuntur: altera longa est vocalis ē, quam omnes dialecti Graecae habent communem, altera vocalis *η* lege dialecti Jonicae propria, quae reliquarum dialectorum *ᾱ* longum in *η* mutari iubet,[1]) nata.

Novae huius vocalis *η* ex *ᾱ* ortae pronuntiationem ea quidem aetate, qua mutatio vocalis facta est, et insequenti tempore — postea enim pronuntiationem duarum harum vocalium natura diversarum eodem confluxisse constat — non eandem fuisse ac longae vocalis ē, sed vocalis *α* sono quodammodo consimilem consentaneum est.

---

[1]) Cf. § 4.

Hanc duorum sonorum diversitatem in titulis Ceis et Naxiis septimo, sexto, quinto saeculo scriptis scriptura quoque significari primus demonstravit W. Dittenberger.[1] In titulo enim Ceo (64) Koehler[2]) mirabilem notavit scribendi inconstantiam, quum vocalis *η* modo *E* modo *H* scripta sit. Hoc autem non lapicidae neglegentiae tribuendum esse sed e vocalis *η* pronuntiatione esse ortum Dittenberger l. l. ostendit, quum in hoc titulo — duobus formis *διαρανθῇ* (v. 17) et *θάνῃ* (v. 23) exceptis — in vocali *η* scribenda haec lex exerceatur, ut ea vocalis *η*, quae ex *ε* oritur, elemento *E*, ea quae ex *ᾱ* seu ex *ε* et *α* contractis nascitur, elemento *H* exprimatur. Eandem vocalis *η* scribendae legem sequuntur tituli 59, 63, 65, 66, 67, 68, atque ita, ut quo sunt recentiores, eo saepius a regula discedant.

Sed illa distinctio non modo inter longam vocalem ē et vocalem *η* pro *ᾱ* positam facta est, sed etiam brevis vocalis *ε* duo genera distincta videntur esse: *ε* ex *α* natum et *ε* alicunde ortum. Titulus quidem Naxius septimo saeculo scriptus hoc scripturae genus sequitur, ut vocales et *ε* et *η*, si ex *α* ortae sunt, litera *H*, eaedem, si aliunde originem ducunt, litera *E* designentur nulla usquam vocalium aut brevitatis aut longitudinis ratione habita; distinguit igitur lapicida literis *H* et *E* vocalium non quantitatem sed qualitatem. Exempla scripturae *H* pro *ε* ex *α* orto habes duo: *ΔεινοδίκΗω* (57, 2), *ἀλ(λ)Ηʹων* (57, 2). Quae quum ita sint, dialectus Cea et Naxia — reliquorum autem Jonum dialecto cur hanc denegemus pronuntiationem nihil est causae — usque ad medium fere saeculum quintum hac vocalis e pronuntiatione usa videtur, ut vocalis nostra, ubicunque ex *α* nata erat, eum sonum haberet, quem Sievers e^2 significat, ubicunque alicunde orta aut genuina erat, eo sono uteretur, quem Sievers signo e^1 exprimit.[3]

---

[1]) W. Dittenberger, Zum Vocalismus des ion. Dialects, Herm. XV, p. 225 sqq.

[2]) Mittheil. des d. arch. Inst. zu Athen, I. p. 139 sqq.

[3]) E. Sievers, Grundzüge der Phonetik, p. 70.

§ 8.

De vocalium contractione.[1])

Quae Ermanus de vocalium contractione apud Jonas disputavit, quum in Jade iam diu ante Herodoti aetatem contractionem vocalis ε cum sequenti ε, η, ει — excepta Chalcidensium dialecto — nec non aliarum vocalium contractiones factas esse ostenderet, nostris quoque titulis comprobantur. Notatu digna haec tantum videntur:

1. In titulo Chio (18) forma *Ἑρμίεω* occurrit, quae praecedente vocali ι solutam genetivi terminationem εω exhibet. Ermanus suos titulos secutus praecedente vocali elisionem vocalis ε semper fieri iudicavit[2]); ac reliqua quidem exempla in titulis nostris obvia hanc opinionem tueri videntur: *Χαιρίω* (13), *Ἀσίω* (15 c, 25), *Πυρέω*[3]) (28), *Πυθέω* (73) etc.; sed obstat nomen *Ἑρμίεω*, quod huiusmodi formas solutas dialecto Jonicae non prorsus deesse docet.

2. Solutas vocales α et ο formae exhibent *Ἀγλα(ό)νικος* (43, 2) et *Ἀγλαοκύδου* (70, 1), quum reliqua nominum cum *ἀγλαο*... compositorum exempla saepenumero in titulis occurrentia contractas praebeant.[4])

De nominum declinatione.

§ 9.

De declinatione stirpium in α exeuntium.[5])

1. De genetivo singularis stirpium in α exeuntium vide §§ 8,1. 18. 20.

2. Dativus pluralis, quem in Asiatica tantum Jade in ησιν terminari postea videbimus,[6]) semel caret ι subscripto:

---

[1]) Erman l. l. § 10 — 14.

[2]) Erman l. l. § 13.

[3]) Haussoullier l. l. formam scribit accentu in antepenultima posito; sed hic genetivus a *Πυρέης* derivandus videtur.

[4]) Cf. Erman l. l. § 14,3.

[5]) Erman l. l. § 16.

[6]) Cf. §§ 19,7. 20,2.

δεσπόνησιν in titulo Cyziceno (3); reliqua dativi exempla usitatam formam praebent: *ἡμέρη[ι]σιν* (15 b, 4), *[Ε]ὐάδησιν* (15 c, 18), *Ἐρυ[θρ]ῇσιν* (21, 6).[1])

3. In titulo Chio occurrit accusativus pluralis *οἰκιέας* (15 c, 10), quem Haussoullier[2]) cum Jonica forma genetivi pluralis in *έων* exeuntis comparat. Sed nullum usquam in titulis apparet aliud vestigium talis formationis[3]) ut cum Roehlio[4]) literam *ε* delendam esse existimemus.

§ 10.

De declinatione stirpium in *ο* exeuntium.[5])

Terminationem dativi pluralis in *οισιν*, quae et ipsa severioris tantum Jadis propria est,[6]) titulus Cyzicenus sexto saeculo scriptus quater exhibet: *τοῖσιν* (1 B, 2), *τοῖσιν* (1 B, 3), *ἐκγόνοισιν* (1 B, 3), *τούτοισιν* (1 B, 8). Ceterum Ermanum recte coniecisse puto, qui terminatione *ι* in dativo pluralis primum articulum privatum esse declarat; voces enim maxime tritas iis mutationibus, quas dialectus subiit, priores quam ceteras obnoxias fuisse consentaneum est. Similiter scriptio plena *ΟΥ* pro *Ο* primum apparet in articuli formis *ΤΟΥ*,[7]) *ΤΟΥΣ*[8]) etc.; item *ι* mutum in eiusmodi verbis primum coepit evanescere: *τῶ* (14, 4), *αὐτῇ* (14, 4), *τῇ* (21, 1), *τῇ* (29, 10); *βουλῇ* (21, 1), *γῇ* (29, 10). Diserta huius rei exempla praebent

---

1) Etiam in inscriptionibus Atticis antiquioris aetatis *ι* subscriptum saepius omittitur in terminatione dativi pluralis in *ησιν* (cf. Sauppe De inscr. Eleus p. 5), qua ex re Blassius (Aussprache etc. p. 24) hoc concludit: 'Also, inquit, mochte es (sc. iota subscriptum) hier besonders schwach tönen.

2) Bull. de corr. hell. III. p. 235.

3) Cf. *χώρας* in eodem hoc titulo (b,8), *ἐπαράς* (c,9), *νομαίας* (c,9) cet., *οἰκία[ς]* in titulo Pario (58) sexto saeculo scripto.

4) Roehl l. l. n. 381 c, 10.

5) Erman l. l. § 17.

6) Cf. §§ 19,7. 20,2.

7) Erman n. 25,13; § 8,1.

8) Ross, Inscr. Gr. ined. II. n. 94 a, 3.

inscriptio Pharsali in Thessalia: τάφ[ρο]δίτᾳ τᾶ Πει[θοῖ][1] et titulus Asiae Aeolicae: τῶ Νικαίῳ, τῶ Γ(λ)αυκίω[ι].[2])

§ 11.

De declinatione stirpium in ι exeuntium.[3])

1. De stirpium in ι exeuntium genetivo singularis in εως vide § 18.

Alia genetivi forma occurrit in titulo Prienaeo quarto saeculo scripto: πολείως (7, 5), quam Le Bas l. l. Jonicam esse putat: 'Les formes πολείως, inquit, pour πόλεως, et θειόν pour θεόν sont aussi ioniennes' etc. Verum huiusmodi formas in titulis quarti saeculi obvias non dialecto, sed orthographiae tribuendas esse W. Dittenberger luculenter demonstravit.[4])

2. Stirpis in ι terminantis dativus in titulo Ceo quinto saeculo scripto occurrit hic: χύσι (64a, 36), qua forma dativus Herodoteus in ῑ comprobatur.[5])

Forma πόλῃι pro πόλει in titulo Jasensi (8a, 3) occurrens, quam Besnault et Dubois ionismo dederunt, quomodo sit explicanda apud eundem Dittenbergerum invenies.[6])

Num dativus δυνάμει (Erman n. 13, 31) dialecto Teiorum, ut Ermanus coniecit, tribuendus sit, deficientibus titulis dici non potest.[7])

3. Accusativi pluralis exempla in quinti saeculi titulis habes duo, alterum solutam praebens formam πόλ(ι)ας (10, 3)[8]), alterum contractam πρήσις (15 c, 6).

---

[1]) Roehl l. l. n. 327.
[2]) Ibid. n. 503.
[3]) Erman l. l. § 18,2.
[4]) W. Dittenberger, Zur gr. Nominalflexion, Herm. XVII. p. 40. 41.
[5]) Erman l. l. § 18,2.
[6]) Dittenberger l. l. p. 37.
[7]) Cf. Erman l. l. § 18,2.
[8]) Per imprudentiam sculptor formam Homericam πολῆας pro Jonica πόλιας exaravit. Sed forma πόλιας ipso metro desideratur. Cf. Roehl l. l. adnot. ad n. 349.

§ 12.

De numeralibus.[1]

Genetivum pluralis *δυῶν* et dativum *δυοῖσιν*, quos compluribus locis codices Herodotei praebent,[2] Stephanus[3] in dubium vocat, quum dicat: 'Mihi vero hae formae inveterato errori librariorum deberi Herodotoque *δυοῖν* et *δυσίν*, quibus Hippocrates[4] quoque utitur, restituenda videntur'. At genetivum *δυῶν* bis exhibet titulus Chius quinto saeculo eraratus (15 d, 9. 14), ut ne de dativo quidem *δυοῖσιν*, quam formam Hesychius annotavit, dubitandum esse videatur.

De numeralium declinatione in titulo Chio (15) obvia vide § 18.

De verborum coniugatione.[5]

§ 13.

De augmento syllabico.[6]

Num recte formae iterativae et plusquamperfecta nonnulla in Herodoti editionibus augmento destituta sint, e titulis cognosci non posse Ermanus profitetur, quum novem tantum huiusmodi exempla in titulis Ermanianis occurrant. Ad exempla ab Ermano collecta, quae omnia augmento sunt praedita, haec nova accessere:[7]

ἔδωκε (1 A, 2), *ἔταμον* (1 B, 8), *ἔδ[ω]κ[ε]* (1 B, 9), *ἐξεποίησ'* (10, 4), *ἔγλ[υψαν]* (12), *ἀνέθ[η]κεν* (34), *ἀνέ[θ]ηκε* (35), *ἐνίκων* (37, 1), *ἔστησεν* (37, 2), *ἀνέθηκε* (37, 3), *ἐποίησεν* (37, 4), *ἐποίει* (38), *ἐποίησε* (40, 1), *ἐνίκα* (40, 2), *ἀνέθεαν* (41), *ἐπόησεν* (44, 2), *ἐποίει* (46, 1), *ἐποίησε* (47), *ἐθέθην* (49),

---

[1]) Erman l. l. § 19.

[2]) Cf. Dindorf, Commentat. de dial. Herodoti p. XXXV.

[3]) Stephanus, Thes. s. v. *δύο*.

[4]) Hippocrates aliis quoque in rebus a pura Jade discedit; tenuis quidem ante spiritum asperum in Hippocratis Mss. ubique in aspiratam mutatur. Cf. § 3, Renner l. l. p. 152.

[5]) Erman l. l. § 20 — 25.

[6]) Ibid. § 21.

[7]) Formas in titulis metricis obvias omisi.

ἐγέν[ετο] (54, 3), *ἀνέθηκεν* (65), *ἀνέθηκεν* (66), *ἐ[π]οίει* (69), *ἀνέθηκε* (74).

Nullum in titulis occurrit plusquamperfectum; imperfecta autem omnia nec non aoristi augmento instituta sunt, quare facere non possumus, quin aoristi quidem indicativo et imperfecti temporis formis augmentum syllabicum vindicemus, formas augmento carentes poeticae tribuamus linguae.

§ 14.

De terminationibus.[1])

Forma Homerico — Jonica *διδοῖ*[2]) pro *δίδωσι* uno confirmatur exemplo in titulo Milesio (2,7) obvio.

Quae exstent dialecti Jonicae species diversae.

§ 15.

Quo tempore Ermanus commentationem suam scripsit, admodum exilis praesto erat numerus titulorum, ut vix ullam observare posset singularum civitatum dialecti discrepantiam, quae non aetatis diversitate explicetur, nisi Euboeae insulae coloniarumque Chalcidensium in Magna Graecia sitarum dialectum excipias[3]); nonnullas enim illarum civitatum dialecti proprietates a vulgari lingua Jonica discrepantes, de quibus infra dicemus, Ermano e titulorum paucitate eruere contigit. Nunc vero complures tituli diversas dialecti Jonicae species exhibentes ad inscriptiones Ermanianas accesserunt, ut, quamvis singulas tantum atque paucas observationes factas esse profiteamur, tamen latius iam de hac re iudicari posse concedendum sit.

Dialecti Jonicae species quatuor distinxit Herodotus[4]): Caricam, Lydiacam, Chiam cum Erythraea, Samiam, quae quatuor

---

[1]) Erman l. l. § 24.
[2]) Herod. I., 107. II., 2.
[3]) Erman l. l. § 2.
[4]) Her. I., 142.

puriorem ac severiorem Jadem efficiunt; praeter has duae aliae cernuntur in titulis; dialectus Euboica et Cycladum insularum dialectus, quae inter se multa habent similia, sed ab Jade Asiatica nonnullis in rebus longius discedunt.

I. De dialectis severioris Jadis.[1]

§ 16.

De dialecto Carica.

De hac dialecti Jonicae specie id tantum memorandum est, quod duas formas a reliqua Jade discrepantes in titulo Milesio invenimus: *λάψεται* pro *λάμψεται*[2] (2, 1. 2. 4. 5) et *ὠρήν*, *ὠρῆς* pro *οὐρήν*, *οὐρῆς* (2, 2. 5. 6).

De formis *ἀτελείην*, *βησιλέως* iam dictum est in § 4.

§ 17.

De dialecto Lydiaca.

Dialecti Lydiacae nullum vestigium exhibent tituli, nisi forte dativum stirpium in *ι* exeuntium, qui in titulo illo Teio quinto saeculo scripto in *ει* terminatur, excipis.[3]

§ 18.

De dialecto Chia et Erythraea.

1. Jones Chium et Erythras incolentes iam antiquiore aetate singulas formas a vicinis Aeolibus mutuati videntur esse; eius generis exempla occurrunt; *ἐσλῆς* pro *ἐσθλῆς* (14,1)[4], terminatio coniunctivorum in *ωσι*: *πρήξ(ω)ισιν* (15 a, 17. 20), *λάβωσιν* (b, 15)[5], genetivi numeralium *δέκων* (15 d, 14), *τεσσ[ε-ρ]ακόντων* (c, 14), *πεντηκόντων* (d, 8), *ἐνενηκόντων* (c, 24).[6]

---

[1]) De severioris Jadis proprietatibus iis, quas omnes dialecti Asiaticae species quatuor habent communes, supra iam disputavimus in §§ 3. 4. 9, 2. 10.

[2]) Herod. I., 199.

[3]) Cf. § 11.

[4]) Cf. Roehl l. l. annot. ad n. 382 v. 1.

[5]) Cf. Roehl l. l. annot. ad n. 381; Ahrens, De dial. aeol. § 24,6.

[6]) Ahrens l. l. § 23, p. 128.

2. Mutatae sunt litera γ in χ in verbo πρῆχμα (15 b, 17. c, 5) et vocalis ε in η in vocabulo ἀνηρίθευτοι (15 b, 24) pro ἀνερίθευτοι.[1])

3. Vocales εω in terminatione genetivi stirpium in α exeuntium etiam praecedente consona ubique in ῶ contrahuntur in titulo illo Chio: Ἀννικῶ (15 c, 11), Πυθῶ (d, 4), Λυσῶ (d, 17), quum reliqui tituli ex hac Jonum sede profecti usitatas formas praebeant.

4. Accedit genetivus πόλεως, qui in titulo Chio bis legitur (15 a, 13. b, 11), qui eo est memorabilius, quod in eodem titulo stirpes in ι exeuntes Jonicis utuntur terminationibus: Ἡγεπόλιος (15 c, 12), πρήσις (c, 6).[2])

II. De dialectis Jonum occidentalium.

§ 19.

De dialecto Euboeae insulae coloniarumque Chalcidensium.

Dialectus Euboica omnium dialectorum Jonicarum diutissime priscam linguae formam videtur retinuisse; quas enim mutationes dialectus Jonica paulatim subiit in annum magis a communi et genuina lingua discedens, eas haec dialecti species quasi reluctans atque invita recepit, quae repugnantia etiam in titulorum Euboicorum et Chalcidensium alphabeto et scripturà apparet.[3])

1. Literam Ϝ Euboei et Chalcidenses Magnam Graeciam habitantes omnium Jonum diutissime retinuerunt; haec enim litera exceptis titulis Chalcidensibus in nulla apparet inscriptione Jonica. Ad exempla literae Ϝ ab Ermano collecta[4]) haec nova accedunt in titulis Rheginis obvia: Ϝοικέων (54,1), σαϜοῖ (54, 3), Ϝοικέων (55, 1).

---

[1]) Corp. inscr. graec. 2671,45. 2693 d, 5.

[2]) Cf. § 11.

[3]) Cf. Kirchhoff, Stud.[3], tab. I. et II.

[4]) Erman l. l. § 3.

2. De spiritu aspero cf. § 3.

3. De longa vocali ᾱ a Chalcidensibus non ubique in η mutata vide § 4. Hoc loco addere mihi liceat, quod in titulis nostris verbi λεώς forma λαός bis invenitur: *Λαοκράτης* (43, 217), *Χαρίλαος* (43, 402), quum forma Jonica septies legatur: 43, 38. 72. 111. 223. 224. 225. 227.

4. Contractio vocalis ε cum sequenti η locum habet in omnibus titulis Jonicis exceptis laminis Styrensibus, in quibus nomina in κλῆς exeuntia solutas formas praebent. Ad exempla Ermaniana[1]) haec nova addenda sunt: *Μαντικλέης* (43, 32), *Θεοκλέης* (43, 134), *Ἰθυκλέης* (43, 145). Accedit nomen in έης: *Θεοφιλέης* (43, 138). In n. 207 *Μνησικλῆς*[2]), nisi haec forma est 'Lenormantiana', unum *E* errore intercidisse videtur; scripturae enim menda permulta inveniuntur in laminis.[3]) Dialectus igitur Euboica usque ad medium saeculum quintum solutas formas servavit, quum coloniarum Chalcidensium inscriptiones iam sexto saeculo contractas exhibeant. Novum huius contractionis exemplum in titulo Rhegino occurrit: *Ἑρμῆ* (56, 3).

Praeter has dialecti Euboicae proprietates, quas Ermanus statuit, tres iam novae e titulis nostris cognoscuntur:

5. In titulo Eretriensi initio quarti saeculi scripto contractas invenimus formas *Ἐρετριᾶς* (48, 18), et *Ἱσστιαιᾶς* (48, 19) ex *Ἐρετριέας* et *Ἱστιαιέας* ortas. Dolendum est, quod nullus alius titulus Euboicus vel Chalcidensis accusativum pluralis nominum in εύς terminantium exhibet; diiudicari enim nequit, utrum haec contractio dialecto tantum Eretriensium, an universae dialecto Euboicae tribuenda sit. Itaque hoc tantum statuere possumus, dialectum Eretriensium ineunte saeculo quarto accusativos plur. nominum in εύς in ᾶς contraxisse.

6. Rhotacismi, cui Eretrienses indulsisse a veteribus traditum est[4]), quatuor exempla exstant in titulo Eretriensi:

---

[1]) Erman l. l. § 11.

[2]) Lenormant, Mus. Rhen. 1867, p. 276 n. 254.

[3]) Cf. n. 2. 13. 36. 38. 73. 90. 104. 114. 127. 153. 174. 278. 377.

[4]) Plat. Cratyl. p. 494 c; Strab. X., 448; Suid. s. v. χαλκιδίζειν; Eustath. 279.

οπόραι (48, 6), *ἄ[ρχ]ουριν* (48, 7), *ὀμνυούρας* (48, 11), *παραβαίνωριν* (48, 12).

Σ igitur omnibus locis, quibus duas inter vocales positum est, in literam caninam mutatur.

7. Alia haec accedit dialecti proprietas et ad ipsam Euboeam et ad colonias pertinens: dativi pluralis stirpium in *α* et *ο* exeuntium, quos in reliqua Jade eae inscriptiones, quae purum praebent ionismum, in *ησιν* et *οισιν* terminantes exhibent[1]), in titulis Euboicis nec non in Chalcidensibus *αις* et *οις* terminationibus utuntur. Cuius rei in titulis haecce habes exempla:

— *πίοις* (42, 1), *[το]ῖ[ς ἀ]ντιδίκοις* (42, 13), *τοῖς* (49), *ἄθλοις* (49), *θεαῖς* (54, 2), *πάσαις* (54, 2), *θεαῖς* (55, 2).

Nullum usquam in titulis nostris elucet vestigium terminationis in *σιν* apud reliquos Jonas usitatae; illi igitur dativi, quum auctoritate nitantur titulorum sexto et quinto saeculo scriptorum, qua aetate de formis Atticis cogitari omnino non potest, dialecto Euboeae et coloniarum vindicandi sunt.

§ 20.

De reliquorum Jonum in Cycladibus insulis habitantium dialecto.

1. De spirito aspero et de longa vocali *ᾱ* in *η* mutata vide §§ 3. 4.

2. Titulus Ceus quinto saeculo scriptus dativorum stirpium in *α* et *ο* exeuntium eandem terminationem exhibet, quam in titulis Chalcidensibus usitatem esse iam vidimus. Occurrunt enim dativi:

λεοκοῖς (64 a, 3) *ἀξίοις* (64 a, 5), *τοῖς* (64 a, 5), *εἱματίοις* (64a, 7), *ταύτ[α]ις* (64 a, 27).

3. Miram praebent linguae pravitatem tituli Cycladum insularum quarto saeculo exarati[2]); formae enim exstant in titulo Thasi insulae, coloniae a Pariis deductae:

---

[1]) Cf. §§ 9,2; 10.

[2]) Cf. Erman l. l. § 16,2.

— *τάδευς* (70, a), [*Λεο*]*ντίδευς* (70, a), *Ἀμφικλείδευς* (70, c), *Ἀριστείδευς* (70, c), [*Πυ*]*θαγόρευς* (70, d); accedunt formae in titulo Amorgino (71) et in titulo Myconio (72) obviae: *Καλλιμένιος* (71), *ἐσθήν* pro *ἐσθῆτα* (72, 7. 17. 23. 24.), *τρισχίας* pro *τρισχιλίας* (72, 20), *χίας* (72, 23).

Formae Doricae inveniuntur:

Ἀναξίλα (70, k), *Διοκλείδας* (70, k), *Χαιρέλα* (72, 20).

§ 21.

Quae igitur inter severiorem Jadem et Jonum occidentalium dialectum differentiae intercedunt, hae sunt potissimae:

1. Litera *Ϝ* dialectus Chalcidensis sola usque ad initium saeculi quinti usa est; in reliquis dialectis Jonicis nullum huius literae vestigium invenitur.

2. Dialectus Euboica et Chalcidensis *ᾱ* longum saepius integrum retinuit, quum apud reliquos Jonas haec vocalis usque ad medium fere saeculum quartum summa constantia in *η* mutetur.

3. Assimilatio literae tenuis ad sequentem aspirationem in puriore Jade antiquioris aetatis locum non habet; Jones occidentem versus habitantes eadem inclinatione ad literas tenues aspirandas utebantur, qua reliqui Graeci, imprimis Attici.

4. Jones occidentales hac in re ab Jade Asiatica discedunt, quod dativi stirpium in *α* et *ο* exeuntium terminationibus *αις* et *οις* utuntur.

Quae quum ita se habeant, inter dialectos Jonum Asiam, Cyclades, Euboeam incolentium hanc differentiam intercedere statui posse arbitramur: dialectum Euboicam omnium maxime a pura Jade diversam fuisse, reliquorum Jonum dialectum, etsi nonnullis in rebus Jadi Asiaticae erat consimilis, tamen ad dialectum Chalcidensium aliquantum propius accessisse.




UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
N30112023627620A

VITA.

Natus sum Gualtherus Karsten d. XIV. mens. Jan. a. 1859 in oppido Borussiae occidentalis, cui nomen est Marienburg, patre Friderico matre Guilelmina e gente Issélé, quorum alter adhuc est superstes. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis imbutus inde ab anno 1868 — unius anni 1875—1876, quo tempore puerorum eram educator, spatio intermisso — patriae meae gymnasium frequentavi; testimonium maturitatis a. 1879 adeptus mens. Aprili Halas Saxonum me contuli, ubi per septem semestria linguarum cum recentiorum tum antiquarum studiis incubui. Scholis interfui virorum illustrium: Bartholomae, Dittenberger, Elze, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Pott, Suchier, Zacher, quibus propter benevolentiam ac comitatem gratias ago quam maximas, imprimis V. Cl. W. Dittenbergero, cuius opera atque auxilio in hac dissertatione componenda maxime usus sum.